

Heinrich Camerarius Johannes Albert Gryphius

## **Theses De Vsvcaptionibvs Et Praescriptionibvs,**

Rostock: Möllemann, 1594

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1756000980>

Druck Freier  Zugang



72

THESES  
DE VSVCAPIONI-  
BVS ET PRAESCRI-  
PTIONIBVS,

Ad quas

DIVINA FAVENTE GRATIA

*Praside*

HENRICO CAMERARIO

*Philosophiae & I. V. Doctore & Professore*

*ac Decano Collegij Iureconsultorum*

*in alma Academia Rostochiensis,*

Pro impetranda licentia petendi gradum  
Doctoris in verocq; Iure,

*Respondebit*

IOHANNES ALBERTVS  
GRYPHIVS, *Megap.*

*Fiet Disputatio Die II. Augusti.*

*in Auditorio magno, initio ad horam VI. matutinam facta.*



ROSTOCHII,

Typis Stephani Myliandri,

M. D. XCIV.

*RU-phil 1594 Camerarias, Heinrich*



THESES  
DE VSVCAPIONE

BY S. ET. PRAESER-  
PTORIBVS

Abbat

DIVINA FACIENTE GRATIA

Trajecti

HENRICO CAMERARIO

Episcopo & N. Doctore & Professore

ac Decano Collegii Jurisconsultorum

in alma Academia Rostochensi

Pro impendenda licentia pertractandum

Doctores in Juris

Respondentibus

JOHANNES ALBERTVS

GRYPHVS Magon.

1711 Martii Die II. Aquis

in Auditorio S. Martini ab honor. V. I. tractatum habet.



ROSTOCHII

Typis Stephanii Mylandii

M. D. C. C. I.



Propositiones  
DE VSUCAPIONIBVS ET  
PRÆSCRIPTIONIBVS.

I.



Ono publico introductæ sunt ex legibus XII. tabularum posterioribusque principum constitutionibus Vsucapiones & præscriptiones, ne quarundam rerum diu & ferè semper incerta essent dominia, nec lites possessoribus perpetuò mouerentur.

II.

Est autem Vsucapio adiectio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti.

III.

Rectè dicitur Vsucapio adiectio dominij. Est enim Vsucapio modus, quo dominia rerum iure civili sigillatim per usum, hoc est, possessionem capimus seu acquirimus.

IIII.

Et est possessio Vsucapionis causa proxima. Sine possessione enim ea que ciuili Vsucapio non procedit.

V.

Qua ratione qui omninò non possident, aut qui tantum naturaliter & non sibi ac animo domini sed alij seu alieno nomine possident, aut etiam sunt tantum in possessione, vt creditores pignus tenentes, coloni, inquilini, emphyteutæ, qui precatio rogant, fructuarij & similes, vsucapere non possunt.

VI.

Sed & continuam oportet esse possessionem, Possessio enim siue naturaliter interrumpatur, id quod fit, cum re ipsa interuertitur, siue ciuilitè, vt litis contestatione, vsucapionem impedit.

VII.

Accessione tamen possessionis sui auctoris vti licet tam singularis quam vniuersi iuris successoribus, modò ea non sit vitiosa.

A 4

Tem-



## VIII.

Tempora enim vsucapionis, quibus auctores bona fide possederunt, profunt & reputantur ad complendam vsucapionem ijs, qui in locum illorum succedunt, siue ex contractu, siue ex vltima voluntate, siue etiam ab intestato.

## IX.

Et sic inter emptorem & venditorem itemque defunctum & hæredem tempora coniunguntur.

## X.

Quinimò si successor singularis inchoat vsucapionem bona fide eamque comple, Viciū auctoris ei non nocet, sed vsucapere potest, quod auctor ipsius vsucapere non potuit.

## XI.

Secus est in hærede ac successore Vniuersali. Is enim vsucapere non potest, quod defunctus non potuit, cum exordium rei bonæ fidei ratio non iuceatur. Et mala fides defuncti in heredem continuatur.

## XII.

In hærede etiam hoc singulare est, vt capta à defuncto vsucapio, iacente adhuc hereditate & antequam heres eam adeat, impleatur.

## XIII.

Et hac ratione possessio defuncti vltiori etiam heredi prodest, quantumuis medius possessionem nactus non sit, dummodò defunctus bona fide possederit ac heres nunquam in mala fide fuerit.

## XIIII.

Nam licet olim quidem diutina possessio, quæ prodesse cæperat defuncto, & hæredi & bonorum possessori continuabatur, licet ipse sciret rem esse alienam: tamen id hodie per ius Canonicum immutatum est.

## XV.

Et hodie in vsucapionibus & præscriptionibus requiritur, vt vsucapiens aut præscribens nullo tempore habeat conscientiam rei alienæ.

## XVI.

Præterea vt vsucapio procedat, oportet rem ex titulo ac iusta causa possideri tam Canonum quam ciuili iure.

As.



XVII.

At tituli possessionis plures sunt, ut & domini acquirendi, puta pro emptore, pro transactione, pro dote, pro donato, pro legato, pro soluto, pro derelicto, pro herede, pro suo &c.

XVIII.

Eiusmodi titulum verè subesse oportet, nec opinari sufficit, rem empram vel donatam, si reuera emptio vel donatio non præcesserit.

XIX.

Nam error falsæ causæ seu tituli vsucapionem non parit, veluti si quis cum non emerit, emisse se existimans possideat, vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

XX.

Sane si res mihi tradatur ex falsa causa quasi debita ex testamento, quamvis legatum non præcesserit, eius tamen rei si non pro legato, saltem pro suo aut pro soluto vsucapio procedit, quia probabilis hic error est.

XXI.

Idemque obtinet in alijs negotijs præterquam in emptione & venditione.

XXII.

Nam alijs ex causis traditione facta vsucapio pro soluto procedit, etiam si falsæ causæ fuerint. At si quis rem quasi debitam ex causa venditionis tradat, nec pro soluto vsucapio procedit. Scit enim accipiens quasi debitum ex venditione pro soluto, emptionem nullam præcessisse, ac si existimans debere tibi tradam, ita demum vsucapio lequitur, si & tu putes debitum esse.

XXIII.

Quod si quis heres non est & possidet res hereditarias, nunquam vsucapier, etiam si maximè iustam causam habeat, cur se heredem existimet.

XXIV.

Similiter si quis id quod possidet, non putat sibi per leges licere vsucapere, dicendum est, etiam si errer, non procedere tamen eius vsucapionem. Vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in iure erranti non procedit vsucapio.



## XXV.

Sic quoq; si quis existimat rem emptam se vsucapere posse, quæ non potest vsucapi, error iste iuris possidenti non prodest, & nunquam in vsucapionibus iuris error possessori prodest.

## XXVI.

Res quoq; oportet esse semper eiusmodi, vt vsucapi possint,

## XXVII.

Vsucapi nequeunt res hominum commercijs exemptæ, vt sunt res sacræ, sanctæ, religiosæ, publicæ populi Romani & ciuitatum ac liberi homines, Item alienari prohibitæ, vt fundus dotalis, res pupillorum, minorum, furiosorum, prodigorum, Ecclesiæ, &c.

## XXVIII.

Res itidem fisci principis & res furtiuz ac quæ vi possessæ sunt, nisi purgato vitio, non vsucapiuntur, etiam à bonæ fidei possessore, quia hæ res legibus Vsucapi prohibentur. Et vbi lex inhihet vsucapionem, bona fides itemq;ue titulus ac iusta causa possidenti nihil prodest.

## XXIX.

Sed id quod dicimus, has res Vsucapi non posse, intelligimus tantum de Vsucapione triennij & longi temporis decem vel viginti annorum.

## XXX.

Id enim est hodie tempus Vsucapionis lege Iustiniana rebus, quæ Vsucapi non prohibentur, definitum, Imp. quippe Iustinianus tempus, quod veteribus legibus XII. tabularum definitum erat, nempe annum, in triennium, & biennium, in decennium & vicennium mutauit, ita vt hodiè res mobiles triennio, res immobiles decennio inter præsentés & vicennio inter absentes bona fide & ex iusta causa possessæ in toto imperio Romano Vsucapiantur, omni differentia, quæ olim inter res mancipi et nec mancipi itemq; inter solum Italicum & prouinciale fuit, sublata.

## XXXI.

Planè res furtiuz & vi possessæ, res itidem fisci, ciuitatum, ac similes, quarum est commercium, longissimo tempore 30. vel 40. annorum præscribi possunt.

Quemad-



## XXXII.

Quemadmodum enim olim Vfusapioni anni & biennij, quando ea locum non habebat, succedebat longi temporis possessio, ita vbi longi temporis possessioni & præscriptioni locus non est, tum longissimi temporis 30. vel 40. annorum præscriptio succedit, ac tempore hoc longissimo 30. & 40. annorum secundum jus Codicis omnes actiones tam reales quam personales, quæ minora tempora legibus definita non habent, tolluntur.

## XXXIII.

Et sic ius perpetuæ colonix eodem tempore præscribi communiter placuit.

## XXXIII.

Ad eundem modum, si quis annuas præstationes longissimo tempore petere cessauit, præteritis non etiam futuris præscriptum affirmamus. Tot enim sunt præscriptiones, quot anni, & in annuis præstationibus tempora præscriptionum ab initio cuiusque anni computamus.

## XXXV.

Sic quoq; 40. annis præscribitur actionibus Ecclesiasticis, eiq; præscriptioni 40. annorum locus est, si actio, quæ 30. annis perire solet, interim contestata & postea omissa sit, nam ex contestatione in 40. annos extenditur.

## XXXVI.

Excipiuntur, quæ principi ratione superioritatis & dignitatis seu in signum supremæ eminentiæ reseruata sunt, Veluti vestigalia, ius collectandi, ius cudendæ monetæ, & alia regalia.

## XXXVII.

Ea enim 30. vel 40. annis non præscribuntur sed tempore immemoriali seu tanto, cuius initij memoria non extat.

## XXXVIII.

Iuri quoque luendi pignoris, & pacto de retrouendendo, reliquisq; quæ meræ facultatis sunt, non tantum non 30. vel 40. sed nec centum vel mille aut pluribus annis præscribi posse pronunciamus.

## XXXIX.

Dummodò pignus & res vendita cum pacto de retrouendendo in alium non sit translata.

De



De seruitutibus rusticorum & urbanorum prædiorum quaeritur, quanto tempore vsucapiantur vel præscribantur. Et olim seruitutes vsucapi non poterant, poterant verò diuturno vsu & longa possessione acquiri. Et hodie seruitutes tam continuas quam discontinuas diuturno vsu & longo tempore acquiri posse verius est. Sed interpretes nostri discontinuas non nisi tempore immemoriali acquiri censent, eamq; communem esse opinionem ac in foro receptam, non inficiamur.

ad h. c. d. o. a.





De  
ritur, qu  
feruitures  
longa po  
quàm di  
verius ef  
immemo  
ac in for

XL.  
sticorum & vrbanoꝝ prædiorum qua  
vsucapiantur vel præscribantur. Et olim  
poterant, poterant verò diuturno vsu &  
iuri. Et hodie feruitutes tam continuas  
diuturno vsu & longo tempore acquiri posse  
retes nostri discontinuas non nisi tempore  
ensent, eamq; communem esse opinionem  
n inficiamur.

*val. J. w. d. o. z. a.*

